



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:



- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



71.272







De
coniunctionum causalium apud
Quintilianum usu.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT
Edmund (Hermann) Günther

EDMUNDUS GÜNTHER,
BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXI.

TYPIS KOSMAELIANIS KROTOSCHINI.

Eq 1. 272


JUN 24 1884

Liver fund.

Parentibus sacrum.

1911

Ut de Quintiliani dicendi genere disputarem, primum eo adductus sum, quod ad iudicandam argenteam, quam vocamus, latinitatem plurimum valere existimavi scire, quibus rebus scriptor aetatis illius elegantissimus abhorreret a scriptoribus aureae, quae vocatur, aetatis, deinde quod sermo eius a grammaticis nimis neglectus esse videtur. Itaque quaestione de nonnullarum coniunctionum causalium usu instituta, quantum in me esset, conferre studui ad huius scriptoris dicendi usum cognoscendum. Qua in re multum me debere libello, quem Carolus Reussius „de coniunctionum causalium apud Tacitum usu“ conscripsit (Halle 1876), grato animo profiteor. Ceteros, qui mihi usui fuerunt, libros suo quemque loco indicavi.



§ 1.

Q u i a.

Et si facile concedo „quia“ conjunctionem a Quintiliano, qui sicut ceteri scriptores creberrime ea utitur, ut causam veram certamque afferat, in universum ita adhiberi, ut cum vulgari dicendi consuetudine optime consentiat, tamen instituenti mihi quaestionem de elocutione scriptoris eruditissimi et diligentissimi nonnulla liceat in medium proferre, quibus totus huius particulae usus dilucide planeque ante oculos ponatur. Disseram igitur primum de iis, quae ad ipsius conjunctionis usum spectant, tum de modis ei adiunctis.

L**De ipsius „quia“ conjunctionis usu.****1. „Quia“ perinde atque „quod“ positum est.**

a) Hoc facillime intellegitur ex his exemplis, ubi „quia“ et „quod“ promiscue usus est Quintilianus. II, 2, 2 „Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum adgressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, — sed quod magis necessariam eius rei mentionem facit aetas ipsa discentium“.

„Non solum quia — sed quod“ bis reperitur: I, 3, 8 „Danda est tamen omnibus (sc. pueris) aliqua remissio, *non solum quia nulla res est, quae perferre possit continuum*

laborem, — sed quod studium discendi voluntate, quae cogi non potest, constat“. Item XII, 10, 2.

„Primum quia — deinde quod“ legitur: II, 6, 3; IX, 4, 10; IX, 4, 61.

„Primum quia — deinde quod — postremo quod“: I, 3, 14; VII, 2, 21 (postremum quod).

„Primum quod — deinde quia — postremo quia“: II, 3, 5. —

Quantopere autem delectetur Quint. hac dicendi varietate, imprimis ostendit VI, 3, 53 „Haec tam frigida; quam est nominum fictio adiectis, detractis, mutatis litteris, ut Acisculum, quia esset pactus, „Pacisculum“, et Placidum nomine, quod is acerbus natura esset, „Acidum“, et Tullium, cum fur esset, „Tollium“ dictos invenio“.¹⁾

b) „Quia“ pro „quod“ (sive „eo quod“) positum significat „indem, dadurch, dass“: I, 6, 39 „nam et auctoritatem antiquitatis habent (sc. verba a vetustate repetita) et, quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant“. VIII, 6, 8 „Hic, quia est verbum in lege „deprensus“, satis etiam significatum videtur non contineri lege nisi noxium ferrum (dadurch, dass hier im Gesetz das Wort „ertappt“ steht, scheint hinfänglich bezeichnet zu sein...). X, 5, 14 „Declamationes vero — sunt utilissimae, quia inventionem et dispositionem pariter exercent“... Halmium enim sequor „quia“ legentem pro „quae“, quod libri praebent, Meistero minus apte „ut quae“ conciente. — Similiter „ideo quia“, „hoc quia“ pro „eo quod“ Quintilianus utitur. VII, 4, 23 „Et ideo qualitas maxime oratoris recipit operam, quia in utramque partem

¹⁾ Post ea verba, quae affectum aliquem animi significant, Quint. semper „quod“ posuit. Quod autem IX, 2, 80 post verbum „accusare“ et IX, 4, 89 post verbum „laudare“ legitur „quia“, haec particula pendet ab ipsis verbis.

plurimum est ingenio loci“... X, 1, 15 „Nam omnium, quaecumque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus, — quia, quae doctor praecepit, orator ostendit.“

Omnino, ut hoc addam, eadem fere correlativa in enuntiatione principali reperiuntur, ad quae „quod“ coniunctio spectare solet.

Legimus:

„Eo quia“: V, 12, 17; IX, 4, 20.

„Hoc quia“: X, 1, 15.

„Ideo quia“: I, 7, 35; II, 13, 2; 21, 11; IV, 1, 45; V, 10, 115; 11, 35; 11, 37; VI, 4, 1; VII, 4, 23; IX, 2, 69; X, 7, 31; XI, 1, 16; XII, 10, 2.

„Idcirco quia“: II, 2, 2.

„Propterea quia“: VII, 2, 15.

„Propter id ipsum quia“: III, 8, 23.

2. „Quia“ aliarum coniunctionum locum obtinet.

a) In „quia“ coniunctione „quoniam“ particulae vis inest: „da nun einmal“.

Coniunctione „quoniam“ plerumque non affertur causa rei ipsius, de qua agitur, sed, cur scriptori ita se habere videatur, exponitur. Ita autem „quia“ apud Quintilianum saepius usurpatum est: I, 8, 21 „Quod evenit praecipue in fabulosis usque ad deridicula quaedam, quaedam etiam pudenda, unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est, adeo ut de libris totis et auctoribus, ut succurrit, mentiantur tuto, quia inveniri qui numquam fuere non possunt...“

Verbis „quia — possunt“ explicat scriptor illud „mentiantur tuto“. Mirum non esse, quod tam tuto mentiantur improbi, quoniam inveniri non possit, qui numquam fuerit. Causa autem, cur mentiantur tuto, omnino non inest.

III, 1, 6 „Illi autem probant quaecumque ingressi sunt iter, nec facile inculcatas pueris persuasiones mutaveris, quia nemo non didicisse mavult quam discere“. Verbis „quia—discere“ res omnibus satis cognita affertur, quae difficultatem illam mutandi persuasiones pueris inculcatas declarat. —

Porro cf.: I, 6, 40; III, 8, 36; IV, 2, 86; V, 10, 79; 12, 8; VII, 4, 31; VIII, 6, 75; IX, 2, 74; 3, 27; XI, 3, 174; XII, 2, 11.

„Quoniam“ autem saepissime prope accedit ad „postquam“ coniunctionis usum. Sed etiam hic haud raro Quintilianus „quia“ usurpavit, ut: II, 20, 10 „Multa fiunt eadem, sed aliter. Sufficiant igitur haec, quia de utilitate supra tractavimus“.

Item II, 4, 2; IV, Prooem. 7; VI, 4, 3; IX, 3, 13.

Perinde atque „quoniam“ posuit scriptor „quia“ in transitione ad alium locum. Sic: III, 6, 104 „Nunc, quia in tria genera causas divisi, ordinem sequar“. Cf. IX, 4, 79.

b) Saepius „quia“ apud Quintilianum enunfiato principali additamentum adiungit explicativum, id quod plerumque fit coniunctionibus coordinantibus „enim“ vel „nam“:

III, 7, 28 „Totum autem (sc. laudativum genus) habet aliquid simile suasoriis, quia plerumque eadem illic suaderi, hic laudari solent“. III, 8, 37 „Nam consultant aut plures aut singuli, sed in utrisque differentia, quia et in pluribus multum interest; senatus sit an populus, Romani an Fidenates, Graeci an barbari: et in singulis, Catoni petendos honores suadeamus an C. Mario, de ratione belli Scipio prior an Fabius deliberet“. Quibus locis verba a „quia“ pendentia causam, cur laudativum genus simile sit suasoriis, cur in consultantibus sit differentia, non afferunt, sed quae sit illa similitudo, illa differentia explicant.

Similiter: V, 11, 30; VII, 8, 1; XI, 1, 93.

Porro I, 4; 10; 4, 18; 7, 28; II, 17, 26; V, 13, 17; IX, 1, 36; 3, 6; 4, 72; XII, 10, 33.

His exemplis nonnulla addam, quae quidem eandem explicativam „quia“ coniunctionis vim ostendunt, sed, cum non tam facile intellegantur, accuratiore interpretatione indigent.

IX, 3, 54 „Omnibus (sc. figuris) scriptores sua nomina dederunt, sed varia et ut cuique fingenti placuit. Fons quidem unus, quia acriora facit et instantiora, quae dicimus, et vim quandam prae se ferentia velut saepius erumpens adfectus“.

Sic enim Halmius recte edidit recepto e codice M¹) „quia“ (ceteri exhibent „qui“) probataque Spaldingii coniectura, qui pro „erumpentis“ scripserat „erumpens“.

Locus igitur sic explicandus est: Fons quidem omnium figurarum unus est, facit enim acriora etc. Verbis „quia — adfectus“, quis sit unus ille fons, exponitur.

XII, 10, 25 Quintilianus, postquam dixit sua ipsius sententia non solum Lysiam, sed etiam Aeschinem, Demosthenem, Periclem attice dixisse, pergit:

„quid est igitur, cur in iis demum, qui tenui venula per calculos fluunt, atticum saporem putent, ibi demum thymum redolere dicant? Quos ego existimo, si quod in iis finibus uberius invenerint solum fertilioremve segetem, negaturos atticam esse, quod plus, quam acceperit, seminis reddat, quia hanc eius terrae fidem Menander eludit“.

Sententiarum conexus est hic: „existimo“, dicit Quintilianus, „hos oratores, si quod in iis finibus uberius invenerint solum fertilioremque segetem, concessuros esse, hanc terram, quod plus quam acceperit seminis reddat, prorsus dissimilem esse Atticae. Atticae, inquam, quia (vel „nam“) huius terrae fidem Menander eludit“. Ex verbis „quod—reddat“ omnino

¹) Halmii compendiis utar.

non manifestum est, cur talis terra nequeat esse Attica, itaque, ut dissimilitudo illa dilucide explicetur, enantiatio „quia—eludit“ tanquam in parenthesi adiungitur. Clarius nimirum sententia esset, si Quintilianus, interpretans praeclarum illud Menandri scripsisset: quia Attica, ut Menander ludit, cum fide reddit semen, quod accepit, sed nihil amplius. — Similiter: III, 6, 42; V, 10, 30; IX, 1, 2. Paululum differunt ab his exemplis duo loci, ad quos nunc transeo.

I, 5, 1 „Iam cum oratio tris habeat virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit (quia dicere apte, quod est praecipuum, plerique ornatui subiciunt), totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria: emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars est, examinet“ Verbis „quia—subiciunt“ non introducitur causa sententiae totius enuntiati principalis, sed cur enumeraverit Quintilianus tres virtutes, aliam praetermiserit, exponitur. Sententia igitur haec est: Oratio tres habet virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit; tres, inquam, quia (vel „nam“) dicere apte plerique ornatui subiciunt. —

X, 1, 91 „Hos (sc. poetas) nominavimus, quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parumque dis visum est esse eum maximum poetarum.“

Enuntiatum a „quia“ pendens non continet causam, cur Quintilianus illos nominaverit; excusat se modo scriptor de silentio, quo Germanicum Augustum praeterierit. Sententiam igitur habemus: Hos nominavimus, non Germanicum, quia (vel „nam“) hunc ab institutis studiis deflexit cura terrarum etc. —

Itaque, quod Vahlenus (Ind. lect. Univ. Berol. Sem. Hib. 1879—80 p. 13 sqq.) iudicavit de „nam“ particula ad Ciceronis Tusculanarum disputationum I, 48, 117, ubi ante „Iphigenia“ vocem „nam“ in textum inseruit: „quippe ea vis est

eius particulæ, non ut rei positæ causa afferatur, sed quod hæc posita sit, altera præterita, id vero explicetur" — hoc ad „quia“ quoque coniunctionem duobus his locis optime quadrare nemo non intellet.

3. Reussius l. l. p. 9 agit de inconcinnitate quadam elocutionis Taciteæ, qua haud raro inter enuntiata causalia et substantiva, participia etc., in quibus causa aliqua inest, parataxis efficitur. Apud Quintilianum, quod attinet ad „quia“ coniunctionem, hanc inconcinnitatem non repperi, nisi semel in „quod“ coniunctionis usu. Quem locum hic adiungam:

I, Proem. 6 „Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis tum eximio litterarum amore flagrantem non propter hæc modo, quamquam sunt magna, dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore iudicabamus, sed quod erudiendo Getæ tuo, cuius prima ætas manifestum iam ingenii lumen ostendit, non inutiles fore libri videbantur etc.“

II.

De modorum post „quia“ coniunctionem usu.

Nunc exponamus modorum, qui coniunctionem „quia“ sequuntur, usum. In universum quidem Quintilianus semper fere optimorum scriptorum usum secutus est. Tamen nonnulla mentione digna sunt. Ac primum de indicativo, tum de coniunctivo, deinde de modis post „non quia“ et similia positis disseram.

1. Indicativus.

a) Ut apud alios scriptores, ita apud Quintilianum haud raro in obliqua oratione indicativum pro coniunctivo legimus. Præcipue hic usus locum habet tum, cum enuntiata secundaria res veras atque omnibus satis cognitæ continent. Ita-

que vix quicquam offensionis habet indicativus quattuor illis, quos supra commemoravi, locis: III, 6, 42; V, 10, 30; IX, 1, 2; XII, 10, 25, ubi „quia“ pro „nam“ adhibitum esse vidi-mus. Ibi enim enuntiatis a „quia“ pendentibus res verae certaeque afferuntur, ita ut facile ab oratione obliqua disiuncta ipsaque enuntiata principalia orationis rectae esse videri possint. Sed ut omnis dubitatio tollatur adscribo unum locum V, 10, 30 „Ponunt in persona et nomen: quod quidem acci-dere ei necesse est, sed in argumentum raro cadit, nisi cum aut ex causa datum est, ut Sapiens, Magnus, Pius, aut et ipsum alicuius cogitationis attulit causam, ut Lentulo coniurationis, quod libris Sibyllinis haruspicumque responsis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, seque eum tertium esse credebat post Sullam Cinnamque, quia et ipse Cornelius erat“. „Quia —erat“ idem est ac „Nam—erat“.

b) Silentio non praetermittendus est locus, ubi Halmius in indicativo offendit. VII, 7, 1 „Proximum est de legibus contrariis dicere, quia inter omnes artium scriptores constitit, in antinomia duos esse scripti et voluntatis status“.... — Cod. A praebet „constitit“, G M „consistit“, Regius coniecit „constat“, Halmius, etsi in textu „constitit“ retinuit, tamen in adnotatione „constiterit“ proposuit. — Eodem pertinet VI, 1, 8 „Ceterum illud constitit inter omnes“,.... ubi „constitit“ codicum scriptura consentiente defenditur; nihilominus Halmius coniunctivum potentialem commendat, praesertim cum sequatur: „sicut nemo dubitaverit“. Sed, quamquam coniunctivum potentialem „constiterit inter omnes“ a scriptoribus adhibi-tum esse (ut in Taciti hist. III, 75) scio, tamen duobus illis locis codicum lectioni fidem tribuendam et indicativum „con-stitit“ a Quintiliano scriptum esse contendo. Huc accedit, quod apud Ciceronem quoque hunc perfecti indicativum: „con-stitit inter omnes“ inveni: de finibus bon. et mal. V, 6, (17)

„Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versaretur, et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere, et tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi“... Hoc quoque loco omnes codices indicativum exhibent et intellegitur e totius enuntiatii conformatione coniunctivum potentialem locum habere non posse.

Aliquoties verbi „esse“ formae in enuntiationibus per „quia“ introductis supplendae sunt. Sic „est“ praetermissum est III, 11, 11; VII, 8, 6; „sunt“ I, 5, 29. Formae verborum, quae in enuntiatii primariis positae sunt, in enuntiationibus secundariis omissae sunt: V, 10, 39 „privatam pecuniam sustulisti, verum quia de templo (sc. sustulisti), non furtum, sed sacrilegium est“... etc. Paulo liberius scriptum est: V, 11, 35 — „nec, si mutis finis voluptas, rationalibus quoque: immo ex contrario: quia mutis (sc. finis voluptas est), ideo non rationalibus“.

2. Coniunctivus.

Coniunctivi modi exempla, ubi post „quia“ inveniuntur, orationis obliquae ratione aut alia causa facile explicantur. Duo tamen afferam exempla, ubi pro coniunctivo, qui in codicibus exstat, Halmius in adnotatione indicativum proposuit, cuius rei causam equidem non intellego.

VII, 3, 30 „Sed etiam ex contrario argumenta ducuntur, ut si quaeratur, amatorium venenum sit nec ne, quia venenum amatorium non sit“. Coniunctivum scriptor posuit ex opinione quaerentium.

Similiter IX, 2, 12 „Est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti ad aliud; quia sic utilius sit, occurritur“... Ne hic quidem coniunctivus quicquam offensionis habet, cuius vis e mente eius, qui interroganti occurrit, facile perspicitur.

3. Non quia (non quod), non quia non, non quin.

In universum dicendum est „non quo“ (quod apud Ciceronem usitatissimum est) vel „non quoniam“ apud Quintilianum omnino non inveniri. „Non quod“ legitur semel, „non quia“ sexies decies, „non quia non“ decies, bis „non quin“. De lege, qua usus modorum in his elocutionibus regitur, optime disseruit Reussius (l. l. p. 14): „Si enim aliqua res, quae per se iusta ac vera vel est vel certe habetur, causa alicuius rei esse negatur, indicativus (scilicet excepta oratione obliqua), sin autem aliquid tantum cogitati et quasi per coniecturam inventi, coniunctivus adhibendus est.“

a) Indicativum post „non quia“ bis legimus, et duobus locis lex, quam modo constituimus, neglecta est.

ll, 4, 30 „—cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit cohaerere cum causa nisi aliquo propriae quaestionis vinculo copulatus (appareat alioqui non tam insertum quam adplicitum), vel quod dissimilis est ceteris, vel quod plerumque adsumi etiam parum apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est“ . . . — Apparet sententiam esse hanc: communis locus non desideratur.

ll, 17, 9 — „nam et vulnus deligavit aliquis, antequam haec ars esset, et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa cogebat, mitigavit“. Sententia est: rationem non videbat.

Itaque, cum verbis illis „desideratur“, et „rationem videbat“ aliquid, quod cogitatur vel coniectura inventum est, indicetur, coniunctivum sane expectamus; Quintilianus tamen indicativum ponit¹⁾, quippe qui simpliciter rem narret nec falsam causam supponi posse existimet. Quod licet rationi non re-

¹⁾ De hoc indicativi post „non quia“ usu apud alios scriptores cf. Draeger: *Histor. Synt. d. lat. Spr.* II p. 656.

pugnet, tamen alieni quiddam prae se fert, quia plerumque, cum „non quia“, „non quod“ adhibemus, non abest suspicio, falsam causam supponi¹⁾).

b) Coniunctivus post „non quia“ apud Quintilianum invenitur undecies. I, 4, 6 „Ne quis igitur tamquam parva fastidiat grammatices elementa, non quia magnae sit operae, consonantes a vocalibus discernere ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri, sed quia interiora velut sacri huius adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas“ Porro: IV, 1, 37; VI, 3, 18; 3, 48; VIII, 5, 10; IX, 2, 61; 4, 133; XII, 11, 1; 11, 16; in oratione obliqua: I, 6, 29; 10, 5. — Omnibus his locis causa, quae per „non quia“ introducit, a veritate abhorret, ita ut coniunctivus postuletur. Qua de causa VI, 3, 18 quoque, ubi libri indicativum „sunt“ praebent, e Gesneri coniectura „sint“ recte in textum receptum est.

XII, 11, 16: „Quod non eo dico, quasi sit unquam omitenda dicendi exercitatio, sed quia non in una sit eius specie consensendum“. Sic Halmius, qui „quasi“ in textu posuit, cum cod. G „qua“, M S et lect. vulg. „quia“ praebeant. Qua in re viro doctissimo assentiri non possum. Cod. G in universum quidem codicibus M et S praestat, hoc autem loco Halmius ei nimium tribuisse videtur. Nam „non eo quasi“ nusquam alibi apud Quintilianum inveni, sed eadem verba atque hic „quod non eo dico, quia“ legimus IX, 4, 20. Itaque equidem maiorem fidem habeo codicibus M et S, praesertim cum scriptura codicis G „qua“ non minus facile mutetur in „quia“ quam in „quasi“, et lectionem vulgatam „quod non eo dico, quia“ retinendam esse censeo. —

Semel legitur, ut hoc addam, pro „non quia“ „non quod“: V,

¹⁾ Non huc pertinent loci, ubi legitur „non tantum quia“ (V, 13, 29;), „non solum quia“ (I, 3, 8; XII, 10, 2.).

10, 119 „Hoc non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, — sed ne — putent“. — Novius Quintilianus coniunctivum posuit post „non quia non“: I, 6, 19 „Sed Augustus quoque in epistulis ad C. Caesarem scriptis emendat, quod is „calidum“ dicere quam „caldum“ malit, non quia id non sit latinum, sed quia sit otiosum“ . . . — Porro: II, 2, 2; IV, 1, 5; 1, 65; VIII, 3, 42; IX, 1, 23; 4, 20; X, -7; 19; 7, 31. — Semel post „non quia non“ coniunctivus supplendus est: XI, 1, 61 „Quid asperiores habere frontem potest aut quid aures hominum magis respuunt, quam cum est filio filiive advocatis in matrem perorandum? aliquando tamen necesse est, ut in causa Cluenti Habiti, sed non semper illa via, qua contra Sasiam Cicero usus est, non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re et quo modo laedat“. Apparet viam, quam Cicero ingressus est, Quintiliano non solum non displicere, sed ipsi optimam videri. Itaque illud „non quia non optime“, quoniam rem cogitatam significat, coniunctivum postulat. Suppleas fortasse: „fecerit“. — Bis invenitur pro „non quia non“ „non quin“: VII, 3 9 „Interim quaeritur, „hoc an hoc? furtum an sacrilegium?“ non quin sufficiat non esse sacrilegium, sed quia necesse est dicere, quid sit aliud: quo in loco utrumque finiendum est.“ Item IX, 4, 25 „Nec non et illud nimiae superstitionis, uti quaeque sint tempore, ita facere etiam ordine priora, non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interim plus valent ante gesta ideoque levioribus superponenda sunt“. A exhibet „qui_n frequenter“, G et M „qui infrequenter“, contra S „quia frequenter“. E codicum A G M lectione satis perspicuum est, „quin“ legendum esse.

c) Restat, ut dicam de enuntiato veram causam continente, quod plerumque introducit per „sed quia“. Sed antea tres commemorandi sunt loci, a quibus hoc enuntiatum om-

nino abest. VI, 3, 18 „Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utique hoc est, quamquam et ridicula esse oporteat salsa. Nam et Cicero omne, quod salsum sit, ait esse Atticorum, non quia sint maxime ad risum compositi“ . . . — IX, 2, 61 „Unde etiam venusti transitus fiunt, non quia transitus ipse sit schema“ . . . X, 7, 19 „credendum enim Ciceroni est, non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant“. His enim locis Quintilianus de iusta causa tacet, quia hoc solum agit, ut caveat, ne falsa causa supponatur. —

His tribus locis exceptis vera causa plerumque pendet a „sed quia“. Semel legimus „verum quia“: IV, 1, 37; ter „sed quod“: I, 3, 8; II, 2, 2; XII, 10, 2. Unum mihi occurrit exemplum, ubi iusta causa additur per „sed“, sequente enuntiato per se posito: IX, 4, 20: „Quod non eo dico, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam et forsitan difficiliore etiam pedes: neque enim aut hiare semper vocalibus aut destitui temporibus volunt sermo atque epistula, sed non fluunt nec cohaerent nec verba verbis trahunt, ut potius laxiora in his vincula quam nulla sint“. Praeterea „sed“ particulam semel „ut“ (finale) sequitur: X, 7, 31 „Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles.“ — Semel sequitur „ne“: V, 10, 119 „Haec non idcirco dico, quod inutilem horum locorum cognitionem putem — sed ne, si qui cognoverint ista, si cetera neglegant, perfectos se protinus atque consummatos putent“ . . .

Verbum eiusmodi enuntiato, quod veram causam affert, fere in indicativo ponitur, (quamobrem IV, 1, 5 quoque indicativus „sunt“ suppleendus est) excepta videlicet oratione obliqua (itaque I, 6, 29, coniunctivum „sit“ subaudiemus). Tamen exstant loci, ubi in oratione recta coniunctivum legimus, quos,

cum is modus aliquid novi et inauditi habere videatur, accuratius perquirere liceat. Sic: IV, 1, 65 „Neque enim istud scriptores artium, quia non liceat, sed quia non putent utile, vetant“. Item: VI, 3, 48; VII, 3, 9; IX, 1, 23; 4, 133; XII 11, 16. — Halnii omnibus his locis in adnotatione indicativum praetulit, quin etiam VII, 3, 9 indicativum „est“ in textum recepit, nescio quo iure, nam hic locus nulla re a ceteris differt. Sed mea quidem sententia attractio quaedam modorum statuenda est, qua efficitur, ut coniunctivus, qui in enuntiato a „non quia“ pendente iure positus est, in illam quoque enuntiationem irrepit. Nusquam alibi hunc usum a me observatum esse facile concedo, tamen eum nullo modo prorsus e Quintiliani libris eiciendum, sed huius scriptoris proprium existimandum esse libenter mihi persuaserim. Ceterum simili modo coniunctivum post „quamquam“ adhibitum videmus apud Ciceronem, ut in Bruto 2, 8: „ita nosmet ipsis accidit, ut, quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus“. Hic quoque per attractionem quandam coniunctivus „essent“ positus est; Draegerus¹) minus apte explicat: aptum esse hunc modum ex eo enuntiato, quod ab „ut“ coniunctione pendeat.

§ 2.

Q u o d.

Quamquam de causalibus coniunctionibus haec disputatio mihi suscepta est, tamen in „quod“ coniunctione universum eius coniunctionis usum mihi illustrandum puto. Persaepe enim „quod“ ita ponitur, ut, utrum causale sit necne, non ita facile diiudicari possit. Ac primum de ipsa coniunctione, tum de modis ei additis agam.

¹ Hist. Synt. II, p. 788.

I.

De ipsa „quod“ coniunctione¹⁾.

1. Enuntiata a „quod“ pendentia aut singula enuntiationis principalis verba aut totam eius sententiam explicant.

a) Enuntiatum secundarium oppositionem quandam explicativam continet substantivi aut pronominis demonstrativi in enuntiato primario positi.

a) Substantivum enuntiationis principalis explicatur.

Substantivum in nominativo collocatum: II, 5, 2 „Ceterum sentientibus iam tum optima duae res inpedimento fuerunt, quod et longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, et robusti fere iuvenes nec hunc laborem desiderantes exemplum nostrum sequebantur“.

Reliqua exempla sunt: II, 1, 1; 3, 3; 3, 11; 17, 6; III, 4, 6; IV, 3, 3; 4, 5; V, 7, 2; 9, 1; 10, 113; VI, 5, 7; VII, 2, 48; 2, 54; 5, 2; IX, 2, 17; 2, 42; XII, 10, 17.

Genetivi unum modo exemplum afferre possum: IX, 2, 88 „Non tamen nego, esse controversias huiusmodi figuratas, ut est illa: reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatum iri videbatur“... —

Accusativi exempla sunt haec: I, 2, 2 „Hi duas praecipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant, — alteram, quod—videtur“.

Porro: II, 4, 9; 13, 11; 15, 13, ubi accusativus „vitium“ ante „quod“ supplendus est; III, 6, 29; 8, 69; 11, 6; 11, 20; V, 9, 3; 10, 30, ubi accusativum „causam“ ante „quod“ suppleas; 13, 43; VI, Prooem. 1; VII, 2, 51; 4, 38; IX, 2, 83.

¹⁾ In materia disponenda secutus sum Kuehnerum: „Ausführliche Grammatik der lat. Spr.“ II p. 835 sqq.

Ablativi sunt: VII, 4, 2 „—sed in controversiis quoque sunt frequentia, hac sola differentia, quod illic de futuris, hic de factis agitur.“

Porro: I, 12, 9; IV, 5, 2; VI, 1, 17; 2, 14; VIII, 6, 58; IX, 1, 3; 4, 15; X, 1, 28; 1, 29; XI, 2, 12; XII, 1, 5. —

β) Demonstrativum quoddam enuntiati principalis explicatur.

Nominativi: „Id quod“: II, 2, 7 „—nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant, quasi oderint.“

Porro: V, 10, 84.

„Id solum quod“: IX, 2, 101 „Id enim solum mutatur, quod non universa universis, sed singula singulis opponuntur.“

„Id ipsum quod“: VI, 2, 16 „Namque eos gravis et intolerabiles id ipsum demonstrat, quod cedimus“ ...

„Hoc quod“: VII, 8, 1 — „sed hoc interest, quod illic dicitur contra scriptum, hic supra scriptum“ ...

Porro: VIII, 5, 30; VIII, 6, 58; IX, 4, 48; XII, 3, 3. —

Commemoratione dignissimus est locus VII, 2, 30, ubi pronomen demonstrativum per attractionem quandam cum praedicati nomine colligatum legimus: „—et hanc fiduciam fuisse accusatoribus falsa obiciendi, quod laesum et vulneratum reum speraverint hac invidia opprimi posse.“ Usitatus fuit: „et hoc, quod ... speraverint, fiduciam fuisse“ ... Confer IX, 4, 50 „Sunt et illa discrimina, quod rhythmis libera spatia, metris finita sunt“ ... —

„Hoc ipsum quod“: IX, 2, 3 „Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit quam fuit iis, nocet.“

„Illud quod“: I, 7, 27 „Illud nunc melius, quod „cui“ tribus quas posui litteris enotamus“ ...

Porro: V, 10, 81; 10, 115; 10, 118; 12, 23; VIII, 3, 11; XI, 3, 45; 3, 131. — Pro „illud quod“ legimus „illa quod“ IX, 4, 50; XII, 10, 34. —

Interrogativum „quid“ in enuntiatione primaria positum est: VI, 2, 26 „Quid enim aliud est causae, ut lugentes utique in recenti dolore disertissime quaedam exclamare videantur et ira nonnumquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis inest vis mentis et veritas ipsa morum?“ —

„Nihil“ praecedit VI, Prooem. 4 „—si non meo casu, cui tamen nihil obici, quam quod vivam, potest“ ...

Saepe autem demonstrativum in enuntiato primario omissum est, ut I, 1, 2 „Argumentum (sc. id), quod in pueris elucet spes plurimorum“ .:.

Item: I, 5, 27; II, 21, 12; III, 5, 12; 6, 101; 8, 20; V, 10, 108; 10, 120; 11, 38; 13, 16; 13, 25. VI, Prooem. 4; 3, 6; 4, 11; VII, 2, 52; 2, 56; 4, 31; IX, 1, 24; 2, 72; 2, 78; X, 1, 60; 4, 4; XI, 3, 8; XII, Prooem. 2; 1, 26; 10, 6. —

Accusativi: „Id ipsum quod“ VIII, 2, 12 „At obscuritas fit verbis iam ab usu remotis, ut si commentarios quis pontificum et vetustissima foedera et exoletos scrutatus auctores id ipsum petat ex his, quae inde contraxerit, quod non intelleguntur.“

„Hoc quod“: III, 4, 4 „Quos qui errasse putant, hoc secutos arbitrantur, quod in his fere versari tum oratores videbant“ ...

Porro: III, 4, 14; 9, 5; VIII, 4, 15.

„Hoc ipsum quod“: IX, 2, 69 „Ideoque hoc parcius et circumspectius faciendum est, quia nihil interest, quo modo offendas, et aperta figura perdit hoc ipsum, quod figura est.“

Demonstrativum omissum est:

I, 6, 19 „Sed Augustus quoque in epistulis ad C. Caesarem scriptis emendat (sc. id), quod is—malit“ ...

Item: IV, 2, 34; VI, 5, 9. —

Ablativi: 1) „Eo quod“: III, 3, 14 „Videntur autem mihi qui haec opera dixerunt eo quoque moti, quod in alia rursus divisione nollent in idem nomen incidere.“

Porro: IV, 1, 28; VIII, 6, 8. —

„Eo ipso quod“: X, 2, 5 „—nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt“?

„Hoc quod“: VIII, 3, 30 „Odiosa cura: nam et cuilibet facilis et hoc pessima, quod eius studiosus non verba rebus aptabit“ ...

Porro: XII, 10, 16.

„Hoc ipso quod“: VI, 2, 16 „Hinc etiam ille maior ad concitandum odium nasci adfectus solet, cum hoc ipso, quod nos adversariis summittimus, intellegitur tacita inpotentiae exprobratio.“

Porro: IX, 2, 53; X, 5, 8; XI, 2, 35; 2, 46; XII, 8, 12; 10, 45. —

„Non alio“ praecedit: VIII, 1, 2 „—illa attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, adnotata unius adfectione verbi hospitem dixit, nec alio se id deprendisse interrogata respondit quam quod nimium attice loqueretur.“

Correlativum deest: III, 5, 15 „Sed me liberavit respondendi verecundia (sc. Cicero), et quod ipse hos libros improbat, et quod ... praecipit“ ..

Porro: III, 6, 64; 8, 49; V, 10, 63; XI, 1, 88; 2, 34. —

Liceat his locis addere unum, quod repperi, exemplum, quo enuntiatum verbo adicitur, cui ablativus adiungi solet: III, 7, 5 „—qui Romulum Martis filium educatumque a lupa dicat, in argumentum caelestis ortus utatur his, quod abiectus

1) Hic praecipue haud raro in controversia versatur, „quod“ utrum instrumentum significet an causam.

in profluentem non potuerit extinguere, quod omnia sic egerit, ut" —

b) Iam pertractandi sunt loci, ubi „quod“ refertur ad correlativa post praepositiones posita, deinde agam de „nisi quod“ „tantum quod“ „excepto quod“.

a) „Quod“ post correlativa a praepositionibus pendencia. Inveniuntur autem:

„Circa“: III, 3, 10 „Est et circa hoc quaestio, quod memoriam in ordine partium quidam inventioni, quidam dispositioni subiunxerunt“ ...

Porro II, 15, 1.

„Cum“: II, 4, 30 „—cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit cohaerere cum causa nisi aliquo propriae quaestionis vinculo copulatus“

XII, 10, 47 „Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra: do tempori, ne hirta toga sit, non ut serica, ne intonsum caput, non ut in gradus atque anulos comptum, cum eo quod, si non ad luxuriam ac libidinem referas, eadem speciosiora quoque sint quae honestiora“.

Tertium locum, ubi „cum eo quod“ legitur, sine ulla dubitatione ponimus hunc¹⁾, de quo paulo accuratius disserendum est. X, 7, 13 Halmius sic edidit: „Nam mihi ne dicere quidem videtur nisi qui disposite, ornate, copiose dicit, sed tumultuari. Nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam, quem iurgantibus etiam mulierculis superfluere video: quodsi calor ac spiritus tulit, frequenter accidit ut successum extemporalem consequi cura non possit“. Sed codd. B M praebent: superfluere cum eo quod; b: videantur superfluere cum eo quod; editiones omnes: superfluere video, cum eo quod, si —

¹⁾ Draegerus II, p. 221 duo illa tantum affert exempla, Halmii emendationem loci X, 7, 13 comprobans.

Halmius in adnotatione addit: immo latet „video“ in illo corrupto „cum eo“. — Et profecto verbum, ex quo pendeat enuntiatum: „quem iurgantibus etiam mulierculis superfluere“ desideratur. Quod utrum fuerit „video“ an „scio“ an aliud simile disceptari non potest. Sed minus probabile mihi videtur verbum „video“ in illo corrupto „cum eo“ latere, quam ipsum illud verbum excidisse, praesertim cum hoc loco „cum eo quod“ (mit der Berücksichtigung, Einschränkung dass) in sententiarum tenorem pulcherrime quadret. Quintilianus enim, postquam sese mirari nunquam fortuiti sermonis contextum dixit, hoc enuntiato a „cum eo quod“ pendente orationi moderatur et concedit, frequenter, si calor ac spiritus tulerit, curam consequi non posse successum extemporalem. Cum porro duobus, quos supra commemoravi, locis a Quintiliano „cum eo quod“ usurpatum sit, Halmio nullo modo prorsus assentior, sed in lectione vulgata, quae praebet: „quem i. e. m. superfluere video, cum eo quod, si...“ acquiescendum esse censeo.

„Ex“: II, 17, 30 „Plurima vero ex hoc contra rhetoricen cavillatio est, quod ex utraque causae parte dicatur.“

III, 1, 5; 6, 4; IV, 1, 4; V, 10, 112; VIII, 5, 3; IX, 1, 2; X, 3, 18; XI, 3, 65.

„Inde quod“, ut hoc adiciam, inveni: III, 2, 2 „Nec video, quare curam dicendi putent quidam inde coepisse, quod ii, qui in discrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui defendendi sui gratia instituerint.“

„In“: II, 6, 1 „Fuit etiam in hoc diversum praecipientium propositum, quod eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere latius dicendo prosequabantur“ . . .

II, 10, 14; VIII, 6, 17; IX, 4, 65; X, 1, 108; XI, 3, 107.

„Ob“¹⁾ X, 1, 80 „Quin etiam Phalerea illum Demetrium, quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator“ . . .

„Per“: II, 17, 30 „ita vel per hoc non esse artem (sc. rhetoricen), quod non dicenda praecipiat, vel per hoc, quod, cum dicenda praeceperit, etiam contraria his doceat.“

„Praeter“: III, 8, 40 „Nam praeter id, quod his levissimi cuiusque animus facillime terretur, nescio an“ . . .

V, 10, 45; X, 1, 28; 2, 26; 3, 6. —

„Praeterquam quod“ non invenitur.

„Propter“: II, 5, 10 „—quae non laudantur modo a plerisque, sed, quod est peius, propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur.“

II, 12, 6; III, 8, 44; VI, Prooem. 15 et 16; VIII, Prooem. 23; XII, 9, 6. —

β) „Nisi quod“; „tantum quod“; „excepto quod“.

„Nisi quod“ apud Quintilianum ter decies legimus idque post sententiam affirmative expressam sexies, septies post enuntiatum, in quo sententia inest negativa. De vi ac potestate huius dictionis recte disseruit Wexius ad Tac. Agric. VI: „Nisi quod“ dicunt Latini, cum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiciant.“ Sic. IX, 2, 59: „Sed nostrorum quoque dictorum factorumque similis imitatio est per relationem, nisi quod frequentius adseverat quam eludit: „dicebam habere eos actorem Q. Caecilium.“ Enuntiato per „nisi quod“

¹⁾ Enuntiatia secundaria, quae spectant ad correlativa post praepositiones „ob“ „per“ „propter“ posita, causam afferre concedo, tamen, cum simul illud correlativum explicent, hoc loco commemoro, ne quis ea desideret.

introducito id, quod universe et absolute Quintilianus iudicavit „similis imitatio est“ accuratius terminatur vel potius corrigitur. De grammatica huius usus explicatione commode egit Reussius L. l. p. 26. Nam non semper in enuntiationibus a „nisi quod“ pendentibus ellipsis statuenda est, quam raro invenimus, ubi enuntiatum principale negativam continet sententiam. Itaque nulla inest in hoc loco: V, 14, 14 „Epichirema autem nullo differt a syllogismis, nisi quod illi et plures habent species et vera colligunt veris, epichirematis frequentior circa credibilia est usus.“ Ad verba „nisi quod“ suppleas: „hoc differt“.

Similiter VI, 5, 3; IV, 2, 79.

Quattuor autem inveni exempla, ubi post enuntiatum principale, quod negativam continet sententiam, ellipsin statuemus, quae non ex ipsis verbis, sed e sola sententia eorum expleatur necesse est.

Sic: IV, 2, 74. Defendit pater filios, qui in mortem eius coniuratione facta, parricidii accusati erant: „neque enim iure iurando opus fuisse, si alioqui hoc mentis habuissent, nec sorte, nisi quod se quisque eximi voluerit.“ Ellipsis expletur, cum e verborum sententia addas: „sortiendi necessitatem attulerit“.

VIII, 3, 33 „Multa ex Graeco formata nova ac plurima a Sergio Flavo, quorum dura quaedam admodum videntur, ut queens et essentia: quae cur tanto opere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus.“ Ellipsin expleas sic: „nisi ea causa est, quod“ . . .

Eandem ellipsin statuas IX, 4, 110. —

IX, 4, 145 „Neque enim ullum (sc. verbum) erit tam difficile, quod non commode inseri possit, nisi quod in evitandis eiusmodi verbis non decorem compositionis quaerimus, sed

facilitatem.“ Ellipsis ita mihi explenda videtur: „nisi quod facilitatem quaerimus nos in hanc sententiam, nimis difficilia esse nonnulla verba, adducit“ („allerdings verleitet uns der Umstand, dass wir Leichtigkeit der Wortfügung erstreben, zu der Ansicht, einige Worte seien zu rauh.“)

Contra semper parva ellipsis inest in iis locis, quibus praecedit enuntiatum sententiam exprimens affirmativam ut II, 15, 35 „Idem sentit et finis hoc modo comprehensus, „persuadere quod oporteat“, nisi quod artem ad exitum alligat.“

I, 4, 9; III, 6, 43; V, 11, 17; VII, 2, 56; IX, 2, 59.

Quomodo oratio supplenda sit, facile intellegitur. Finge, voces illas, quae in enuntiato principali affirmative expressae sunt, in enuntiato a „nisi quod“ pendente negative positae esse vel tale quiddam ut „discrepantiam facit“ exstare, iam habebis sententiam expletam et perfectam. —

„Tantum quod“ apud Quintilianum semel invenitur: XII, 2, 31, si verba, ut ab Halmio edita sunt, accipimus. — Quintilianus postquam dixit oratori necesse esse materiam sibi sumere maximam quamque ac natura pulcherrimam ut de virtute, de republica, de providentia, de origine animorum, de amicitia, neque ea solum nosse et animo semper agitare, quae talibus disciplinis contineantur, sed magis etiam quae sint tradita antiquitus dicta ac facta praeclare, — pergit: „Tantum quod non cognitis ille rebus adqueverit, qui non modo proximum tempus lucemque praesentem intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam spatium vitae honestae et curriculum laudis existimet“ . . . — Sic ab Halmio haec edita sunt. Libri autem exhibent haec: B: tantum quod non cognatis ide rebus admoveri; b: tantum quod non cognoti sideribus adveri. — Spaldingius edidit, ad codicum scripturam proxime accedens: tantumque non cognatis id e rebus admoneri sciet; Bonnellus in lex. Quint. p. 887 coniecit: tan-

tum quod non cognoscendis rebus adquiret; idem in editione sua: tantumque non cognitis ille rebus adquirit. — Mihi totum sententiarum contextum contemplanti maxime probatur lectio, quam edidit Halmius, etsi ne eam quidem genuinam esse mihi persuasum est. Non dicam de raro illius „tantum quod“ (= „nisi quod“) apud scriptores usu, nam apud Ciceronem semel invenitur: in Verr. II, 1, § 116: „componit edictum iis verbis, ut quivis intellegere possit unius hominis causa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat („nur dass er den Mann nicht nennt“). Totum autem enuntiatum, novam sententiam introducens, per „tantum quod“ haud ita bene conexum esse cum iis, quae praecedunt, apparet. Hoc quoque concedendum est „non“ negationem parum apte esse collocatam, quae ante verbum „acquieverit“ potius ponenda fuit. Itaque prorsus certum mihi non videtur, a Quintiliano „tantum quod“ usurpatum esse, sed cum, quomodo sanari possit locus graviter corruptus, adhuc non invenierim, Halmii emendationem sequi optimum esse duco.

„Excepto quod“ semel in Quintiliani libris legitur: IX, 4, 79 „Equidem Ciceronem sequar (nam is eminentissimos Graecorum est secutus), excepto quod pes mihi tris syllabas non videtur excedere, quamquam ille paeane dochmioque, quorum prior in quattuor, secundus in quinque excurrit, utatur.“ —

c) „Quod“ post verba: „accedit“, „addo“, „adicio“.

„Accedit quod“ quater invenitur: II, 12, 6 His accedit, quod a cura docendi quod intenderint recedunt.“

VI, 3, 14; VIII, 5, 30; VIII, 6, 58. —

„Addo quod“ invenitur septies: I, 2, 21 „Adde quod domi ea sola discere potest, quae ipsi praecipientur, in schola etiam quae aliis.“

I, 3, 16; X, 2, 10, 11, 12; XII, 1, 4; 11, 29.

„Adicio quod“ quater legitur: II, 17, 40 „Adiciunt his qui contra sentiunt, quod saepe, quae in aliis litibus impugnantur actores causarum, eadem in aliis defendant.“

I, 5, 7; XI, 1, 92; XII, 2, 25. —

Contra „adicio-ut“ usurpat, cum non vult demonstrare rem vere locum habere, sed finem quendam inesse in enuntiato secundario, ut IV, 1, 52: „—hoc adicio, ut dicturus intueatur“ ... —

d) „Quod“ post verba praetereundi ter legitur:

„Transeo quod“ I, 10, 17 „Transeamus igitur id quodque, quod grammaticae quondam ac musicae iunctae fuerunt.“ Item I, 10, 48: „Sint extra licet usus bellici transeamusque, quod Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit.“

„Mitto quod“ semel legimus: XI, 2, 25 „Mitto, quod quaedam nullis simulacris significari possunt, ut certe coniunctiones.“

e) „Quod“ post verbum „facio“ cum adverbio bis inveni¹⁾: IV, 1, 3 „—certe prooemium est, quod apud iudicem dici prius quam causam cognoverit prosit, vitioseque in scholis facimus, quod exordio semper sic utimur, quasi causam iudex iam noverit.“ XI, 3, 91 „—cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, quod, etiamsi iuvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, ut in Hydriae prologo, aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant.“ —

f) Post verba sentiendi ac declarandi a scriptoribus posterioris aetatis interdum pro accusativo cum infinitivo „quod“ usurpatur, eiusque usus apud Quintilianum nonnulla exempla exstare videntur: VI, 3, 83 „Illud vero, etiamsi ridiculum est,

¹⁾ Enuntiatum „bene, male fit, accidit, evenit, (similia) — quod“ apud Quintilianum non legi.

indignum tamen est homine liberali, quod aut turpiter aut potenter dicitur: quod fecisse quendam scio, qui humiliori libere adversus se loquenti, „colaphum, inquit, tibi ducam et formulam scribes, quod caput durum habeas“. Hic enim dubium est, utrum ridere audientes an indignari debuerint.“ Nam „formulam scribes“ nihil aliud est nisi „scribes“ vel potius „testaberis“, post quod exspectamus accusativum cum infinitivo.

VII, 4, 12 „Nam in comparatione malorum boni locum obtinet levius, ut si Mancinus foedus Numantinum sic defendat, quod periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus.“ Defendat = defendens dicat. Sic a Cicerone verbum „defendere“ saepius adhibetur sequente accusativo cum infinitivo, ut de fin. III, 21, 71 „Gravissimeque et verissime defenditur, nunquam aequitatem ab utilitate posse seiungi.“

VII, 2, 31 „Facile respondetur, vel quod omnia scelera in malos cadant ideoque saepe deprensa sint, vel quod indignum sit crimina ipsa atrocitate defendi.“

Similiter XI, 1, 82 „Hic igitur multa non deformiter dicet: vel quod omnium sit votum parentum, ut honestiores, quam sint ipsi, liberos habeant, . . . vel quod humilior ipse fuerit, . . . vel quod non habuerit patrem qui moneret.“ —

Semel legimus „quod“ post substantivum „nuntius“, ubi accusativus cum infinitivo usitator est: XI, 2, 12 „Nam cum esset grande convivium in honorem eiusdem victoriae, adhibitus ei cenae Simonides nuntio est excitus, quod eum duo iuvenes equis advecti desiderare maiorem in modum dicebantur.“ Cf. Cic. ad fam. II, 19 „Cum optatissimum nuntium accepissem, te mihi quaestorem obtigisse“ . . . —



2. Progredimur ad ea enuntiata a „quod“ pendentia, quae causam enuntiati primarii afferunt¹⁾).

a) Saepissime „quod“, enuntiatum causale introducens, ad correlativa praecedentia spectat.

„Eo quod“: I, 7, 10 „Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quotiens a sequatur, necessariam credunt, cum sit c littera, quae ad omnis vocalis vim suam perferat.“ VIII, 2, 17; XII, 1, 1; 3, 11.

„Ea re quod“ non legitur.

„Eo magis quod“: II, 16, 18 „quare si nihil a dis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus aut in quo malimus praestare hominibus, quam quo ipsi homines ceteris animalibus praestant, eo quidem magis, quod nulla in arte plenius labor gratiam refert?“

I, Prooem. 7; 1, 22; XI, 2, 6.

„Eo“ ante „magis“ omissum est: I, Prooem. 2 „Sed qua ego ex causa faciliorem mihi veniam meae deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis, quod inter diversas opiniones priorum et quasdam etiam inter se contrarias difficilis esset electio“....

„Eo minus quod“: I, 1, 19 „Non ergo perdamus primum statim tempus, atque eo minus, quod initia litterarum sola memoria constant“....

„Eo“ ante „minus“ omissum est: XI, 3, 178 „Sed illud minus mirum, quod alter deos et iuvenes...., alter acres senes“....

„Eo“ cum aliis comparativis coniunctum: II, 5,

¹⁾ „Est quod“, „nihil est quod“, „habeo, non habeo quod“ non inveni apud Quintilianum nisi VIII, 5, 23: „(Simile est) et in luxuriosum, qui ἀποκαρτέησιν simulasse dicitur: necte laqueum, habes quod faucibus tuis irascaris.“ —

5, „eo validius, quod“; VII, 1, 37 „eo utilius quod“; cum superlativo X, 1, 129 „eo perniciosissima, quod“.

„Eo“ ante comparativos praetermissum est: V, 11, 37 „Testimonia sunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non causis adcommodata sunt“. Item: V, 5, 1.

„Hoc quod“: V, 7, 22 „Difficilior (sc. patronorum interrogatio) hoc, quod raro umquam possunt ante iudicium scire quid testis dicturus sit, expeditior, quod, cum interrogandus est, sciunt quid dixerit.“

„Hoc magis quod“: VI, 2, 36 „Sed in schola quoque rebus ipsis adfici convenit easque veras sibi fingere, hoc magis quod illic ut litigatores loquimur frequentius quam ut advocati.“

„Hoc ipso quod“: I, 2, 26 „Sed sicut firmiores in literis profectus alit aemulatio, ita incipientibus atque adhuc teneris condiscipulorum quam praeceptoris iucundior hoc ipso, quod facilius imitatio est.“

IV, 1, 54; V, 11, 41; IX, 2, 75; X, 1, 75; XII, 7, 8.

„Hoc“ cum comparativis coniunctum: III, 3, 7 „hoc audacius, quod“; V, 13, 36 „hoc amplius, quod“; X, 1, 34 „hoc potentiora, quod“; XI, 1, 41 „hoc plures, quod“. —

„Ideo quod“: I, 7, 34 „An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit et in filio, ut epistulis apparet, recte loquendi asper quoque exactor?“

III, 7, 13; VI, 3, 7; VII, 1, 18; X, 1, 86; 1, 131; 5, 16; XI, 3, 111.

„Idcirco quod“: V, 10, 119 „Haec non idcirco dico, quod inutilem horum locorum . . . cognitionem putem“ . . .

„Propterea quod“¹⁾ VIII, 5, 9 „Enthymema quoque est omne, quod mente concepinus, proprie tamen dicitur quae

¹⁾ De „quod“ post correlativa a praepositionibus „ob“ „per“ „propter“ pendentia dixi supra.

est sententia ex contrariis, propterea quod eminere inter ceteras videtur, ut Homerus „poeta“, „urbs“ Roma“.

III, 1, 5; 6, 87; IV, 1, 2; V, 14, 24; VII, 4, 20. —

„Non alio quod“: I, 5, 16 „„scala“ tamen et „scopa“ contraque „hordea“ et „mulsa“, licet litterarum immutationem, detractionem, adiectionem habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter effe-
runtur“.

I, 6, 22. —

Restat locus adhuc nondum satis emendatus:

VIII, 6, 64 „Nec aliud potest sermonem facere numero-
sum quam oportuna ordinis permutatio, neque alio ceris Pla-
tonis inventa sunt quattuor illa verba, quibus in illo pulcher-
rimo operum in Piraeum se descendisse significat, plurimis
modis scripta, + quod eum quoque maxime facere experire-
tur.“ In codicibus haec scripta sunt, nisi quod praebent AG:
„faceret“; a: „faceret ut“. Vulgo ex coniectura Regii ante
„quod“ inseritur „quam“. Halmius in adnotatione proponit:
„cum numerum eorum quam maxime facere experiretur.“
Haec autem coniectura mihi quidem parum probabilis videtur
et ipse, si liceat verbum „etio“ cum Halmio referre ad prae-
cedentia, nihil nisi „quod“ in „cum“ mutans, malim: „cum
eum quoque maxime facere experiretur.“ Sed, cum enuntiatio
non finiatur verbis „plurimis modis scripta“, exspectamus, ut
sequatur aliquid, quod ad „etio“ spectet. Itaque concinnitatis
ratio (enuntiati enim initio legimus „nec aliud—quam“) nos in
opinionem adducit, ut hic quoque „quam“ ante „quod“ inse-
rendum esse putemus. Qui lectionem vulgatam: „neque alio-
quam quod“ probant locum sic explicant: „Neque ad alium
finem Plato in ceris inscripsit quattuor illa verba plurimis
modis, quam quod experiretur numerum quoque verborum,
non solum delectum maxime pertinere ad orationis elegan-

tiam.“ Et mea quidem sententia, nisi in coniunctivo „experiretur“ offenderem, haec explicatio esset tolerabilis. Concedo non ita concinne expressum esse: „neque alio ceris Platonis inventa sunt quattuor illa verba plurimis modis scripta, quam quod—experiretur“ pro hoc, quod clarius esset: „neque alio — Plato scripsit, quam quod—experiretur;“ neque nego durissimum esse, quod „eum“ referatur ad verba nimis remota „numerosum sermonem“ vel potius ad hoc in illis latens „numerus“, — permultos apud Quintilianum invenimus locos, ubi Ciceronis perspicuitatem desideramus. Sed quid sibi vult coniunctivus „experiretur“, qui nullo modo excusari potest? Considerans, hoc loco in verbo „alio“ non inesse vim instrumentalem, quae vocatur, (ut: VIII, 1, 2), nec causalem (ut: I, 5, 16; I, 6, 22), sed finalem, haud scio an probandum sit, quod amicus mecum communicavit: pro „quod“ scriptum fuisse „quo“ = „ut eo“, ita ut habeas sententiam: „Neque alio scripsit Plato quattuor illa verba plurimis modis, quam quo (=ut eo) eum quoque (sc. numerum) maxime facere experiretur.“ Quae coniectura eo minus repudianda videtur, quod persaepe „quod“ et „quo“ in codicibus confusa videmus. —

Saepe nimirum correlativum ante „quod“ causale omissum est, quod exemplis illustrare supersedeo.

„Quod“ causale aliquoties eodem modo ac „quia“ prope accedit ad usum ac significationem coniunctionum „nam“ „enim“. Sic: VI, 4, 21 „In plerisque idem est, ut dixi, qui circa testes locus, et personis modo distat, quod hic patronorum inter se certamen, illic pugna inter testem et patronum.“ Verba „quod — patronum“, qua in re differentia posita sit, explicant („nur die Personen machen einen Unterschied, hier findet nämlich ein Streit statt“ . . .).

Similiter: I, 6, 7; II, 15, 25; 21, 7; III, 6, 98; IV, 2, 42; V, 4, 1; VII, 7, 8. —

b) „Quod“ post verba, quae animi affectum significant ut „glorior“ „miror“ alia, sicut post verba „accusandi“ „laudandi“ similia his locis invenitur:

„Augor quod“: I, 6, 22.

„Glorior quod“: V, 7, 24.

„Miror quod“: I, 5, 61; VI, 3, 99. —

„Mirum, non mirum quod“: X, 7, 16; XII, 10, 74; XI, 1, 88.

„Queror quod“: V, 13, 31; VI, 3, 74; 3, 90.

„Rideo quod“: IX, 2, 86.

„Accuso quod“: I, 10, 33; IV, 4, 5; V, 13, 31.

Pro „accuso aliquem quod“ legitur:

„Agere cum aliquo quod“: VIII, 5, 12.

„Reus quod“, ut hoc adiciam, invenitur: X, 5, 13.

„Gratias ago quod“: V, 13, 46.

„Laudo quod“: III, 7, 9.

„Obicio quod“: V, 10, 41; 10, 47; 13, 17; VI, 3, 49; 3, 74; 3, 79; XI, 1, 78.

„Obiurgo quod“: VI, 3, 75; 3, 78.

„Reprehendo quod“: I, 6, 10; IX, 2, 17. Semel, ut hoc addam, post „reprehendo“ legitur „tamquam“ pro „quod“: IX, 4, 53.

„Quod“ post eiusmodi substantiva legitur:

„Crimen quod“: VIII, 5, 16.

„Laus quod“: II, 14, 1.

„Reprehensio quod“: IV, 2, 34.

c) „Quid quod“? pro „quid dicam de eo quod“? haud raro Quintilianus usurpavit: I, 4, 29; 5, 14; 6, 15; 6, 25; 7, 20; 10, 46; II, 17, 39; 17, 42; III, 6, 18; IV, 5, 7; VII, 3, 16; VIII, Pro. 24; 5, 18; XI, 2, 7; 3, 176; XII, 10, 31, 32. —

d) Ellipticus „quod“ particulae usus („was das betrifft, dass“...) ter invenitur. Huc pertinent, nisi opinio me fallit,

hi loci: V, 7, 23 „Itaque, quod in eo incertum est, cura et inquisitione opus est.“ VII, 1, 45 „...excusatum esse rusticum, quod non interfuerit iudicio nihil conlaturus patri..“ Hic enuntiatum a „quod“ pendens excusationem non affert, (haec enim inest in verbis „nihil conlaturus patri“) sed ver-tendum est: „was das anlangt, dass er der Gerichtsverhandlung nicht beigewohnt habe“.....

X, 3, 14 „Is (sc. Julius Florus) cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, quae causa frontis tam adductae? nec dissimulavit adulescens, tertium iam diem esse, quod omni labore materiae ad scribendum destinatae non inveniret exordium“..... („was das beträfe, dass er keine Einleitung fände, so sei es schon der dritte Tag“). Quae explicatio recta an falsa sit nescio, sed meliorem non inveni. Ceterum nostrum sermonem cum latino pulcherrime congruere videmus: „es ist schon der dritte Tag, dass“..¹⁾

II.

De modorum apud „quod“ particulam usu.

In universum quidem Quintilianus semper fere vulgarem usum secutus est. Tamen pauca mihi memoratu digna esse videntur; itaque primum quidem de indicativo, tum de coniunctivo breviter disseram.

1. Indicativus.

a) In oratione obliqua indicativus tribus locis invenitur.

X, 1, 80... „quin etiam Phalerea illum Demetrium — multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc me-

¹⁾ Confer duos locos huic persimiles, quorum priorem iam Spaldingius laudat:

„Plin. ep. 4, 27, 1 „tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium.“

„Plaut. Amph. 1, 1, 46 „iam diu est, quod victum non dabo.“

moria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator.“ XI, 2, 11 „Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides, cuius vulgata fabula est. Cum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta scripsisset, abnegatam ei pecuniae partem, quod more poetis frequentissimo digressus in laudes Castoris ac Pollucis exierat.“ Tum ex oratione indirecta in rectam transit scriptor: „Quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebrasset, iubebatur.“

Tertius locus, iam supra sub „quia“ commemoratus, invenitur:

III, 6, 42 „His etiam ceteri status contineri dicuntur, quia et quantitas modo ad coniecturam referatur — quin et contrariae leges et ratiocinativus status, id est syllogismus, et plerumque scripti et voluntatis aequo nitantur, nisi quod hic tertius aliquando coniecturam accipit“ . . . —

Alacre dicendi genus scriptorem adduxit, ut, oblitus orationis indirectae, modis rectae orationis uteretur.

Iure coniunctivus in oratione obliqua post „nisi quod“ positus est IV, 2, 74 „nisi quod—voluerit.“ Praeter hunc locum et VII, 2, 56 „nisi quod—concesseris“, ubi coniunctivum potentialem habemus, ubique indicativum post „nisi quod“ adhibet Quintilianus.

b) Recte Halmius indicativum restituit: XI, 1, 92 „Adiciendum etiam breviter videtur, quod fit ut dicendi virtutes diversissimae non solum suos amatores habeant, sed ab eisdem saepe laudantur.“ Pro „fit ut“ GMS exhibent „fiat“, unde „fere“ effectum est in editionibus veteribus.

c) Omnibus locis, ubi coniunctionem „quod“ pro accusativo cum infinitivo positam esse vidimus, verbum coniunctivo modo datum est, qui e mente dicentis explicatur. Semel tantum legimus indicativum: XI, 2, 12 „(Simonides) nuntio

est exitus, quod duo iuvenes eum desiderare dicebantur, quia verbo „dicere“ nuntiantis opinio satis significatur.

d) Ellipsis verbi „est“ post „quod“ statuenda est: VI, 4, 21; IX, 4, 48.— XI, 3, 178 legitur: „Maximos actores comoediarum, Demetrium et Stratoclea, placere diversis virtutibus vidimus. Sed illud minus mirum, quod alter deos et iuvenes et bonos patres servosque et matronas et graves anus optime, alter acres senes, callidos servos, parasitos, lenones et omnia agitatoria melius“. Hic verbum „egit“ praetermissum esse iam Bonnellus¹⁾ rectissime observavit. —

2. Coniunctivus.

a) Commemoratione dignus videtur locus IV, 2, 17, ubi legimus:

„Aliae quoque sunt pertinentes ad causam, sed non ipsius causae narrationes, vel exempli gratia, ut in Verrem de L. Domitio, qui pastorem, quod is aprum, quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse a se venabulo confessus esset, in crucem sustulit.“ Hoc unum apud Quintilianum exemplum inveni illius usus, quod saepe in enuntiatis secundariis, praecipue in iis, quae a „quod“ pendent, coniunctivus ponitur eorum verborum, quae sequitur accusativus cum infinitivo (ut „putare“, „dicere“ alia), quamvis non hoc ipsum „putare“ „dicere“ sententia alterius esse dicatur, sed ea, quae putantur, quae dicuntur²⁾. Neque enim, quod confessus esset, aprum a se venabulo exceptum esset, in crucem sublatus est pastor, sed illud „quod —confessus esset“ positum est pro „quod, ut confessus erat, aper ab eo venabulo exceptus esset (vel „erat“)“.

b) XII, 10, 47 . . . „cum eo quod, si non ad luxuriam ac libidinem referas, eadem speciosiora quoque sint quae ho-

¹⁾ cf. Lex. Quint. Prolegomena de Grammatica Quint. p. LXXVI.

²⁾ cf. Kühner a. a. O. p. 790.

nestiora.“ Offendit Halmius in coniunctivo „sint“ post „cum eo quod“ positum et adnotat: „immo sunt“ Mea autem sententia causa mutandi omnino non est, quoniam coniunctivus, quem codices tuentur, potentialis („mit der Berücksichtigung, dass das Anständige auch schöner sein dürfte“) facile intelligitur.

c) I, 2, 2 modorum mutatio invenitur: „Hi duas praecipue rationes sequi videntur: unam quod moribus magis consulant, fugiendo turbam hominum eius aetatis, quae sit ad vitia maxime prona, unde causas turpium factorum saepe extitisse utinam falso iactaretur: alteram, quod, quisquis futurus est ille praeceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur quam si eadem in pluris partiatur.“ In primo enuntiati membro coniunctivum usurpat Quintilianus, cum e dissentientium mente dicat, in secundo, ubi cum illorum sententia consentit, indicativum praefert.

d) Post verba „accusandi“ „laudandi“ similia et post ea, quae animi affectum significant, Quintilianus plerumque coniunctivos adhibuit, qui cum ex alicuius opinione intellegantur, nihil inusitati habent. Indicativum legimus quater tantum: I, 6, 22; IX, 2, 86; X, 7, 16; XII, 10, 74.

§ 3.

• Quoniam.

„Quoniam“ quadragies bis invenitur idque cum indicativo:

I, 1, 34, 35; 7, 1; II, 4, 21; 10, 2; 17, 32; III, 1, 1; 6, 45; 6, 51; 10, 1; 11, 28; IV, 1, 52; 2, 91; V, 7, 9; 10, 6; 10, 25; 11, 24 (suppleas „est“); 13, 23; VI, 2, 2; 3, 94; 5, 1; VII, 4, 6; 4, 36; 5, 6; 8, 3; VIII, 3, 15; 3, 44; 3, 63; 3, 85; 6, 62; IX, 1, 6; 4, 129; X, 1, 67; 1, 71; 3, 13; XI, 2,

9; XII, 5, 2; 7, 5; cum coniunctivo: I, 6, 13; III, 3, 4; 8, 63; V, 10, 62.

1. „Quoniam“ semper causali usurpatum est significatione („da ja“; „da nun einmal“), ut I, 1, 34 „Nam prospicere in dextrum, quod omnes praecipunt, et providere non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti priora dicenda sunt et, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur.“ Apud Ciceronem haud raro „quoniam“ particulae „quidem“ adiungitur, id quod in Quintilianii libris non inveni. Bis legimus „videlicet quoniam“: III, 8, 63; XI, 2, 9.

Unum inveni exemplum, ubi non ad totam sententiam, ut solet, sed ad unam vocem spectat enuntiatum a „quoniam“ pendens, ita ut parenthesis esse videatur: X, 3, 13 „Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, princeps“. Quae verba „quoniam—eam“ ad „Galliarum“ referenda esse apparet: (der Erste in Gallien, denn bekanntlich . . .) — Quater inveni „quoniam“ in transitione ad novam partem:

I, 7, 1 „Nunc quoniam diximus, quae sit loquendi regula, dicendum (sc. est) quae scribentibus custodia.“

Item III, 1, 1, ubi enuntiatum principale per „iam“ introducit.

„Et quoniam“ legitur III, 1, 28; VII, 5, 6. —

Semel utitur „quoniam“ Quintilianus, ut digressionem indicet:

VIII, 3, 44 „Sed quoniam vitia prius demonstrare adgressi sumus, ab hoc initium sit, quod *κατέμφορον* vocatur.“

Denique hi duo loci commemorandi sunt:

I, 5, 31 Halmius edidit: „Est autem (sc. syllaba) in omni voce utique acuta, sed numquam plus una nec umquam ultima, ideoque in disyllabis prior. Praeterea numquam in ea-

dem flexa et acuta, quoniam est in flexa et acuta: itaque neutra cludet vocem latinam.“ Cod. B exhibet: „qui ine adem“; „quin (quia, quia in) eadem“ codices deteriores praebent; A M S omittunt „quoniam—acuta.“ Vulgo: „quoniam eadem flexa et acuta“; Spaldingius coniecit: „quoniam flexa est acuta“, vel: „quoniam in flexa est acuta“, Gernhardus: „quoniam flexa eadem et acuta est“. Sed Clausseno et Schöellio assentior, qui haec verba „qui in eadem flexa et acuta“ nihil esse nisi dittographiam recte perspexerunt¹⁾.

VI, 2, 2 „Nam et per totam, ut diximus, causam locus est adfectibus, et eorum non simplex natura nec in transitu tractanda, quoniam nihil adferre maius vis orandi potest.“ Hoc loco codices AGM praebent „quo“, S: „quod“.

„Quo“ autem ferri non potest, cum frustra quaeratur, ad quod verbum respiciat; „quod“ in cod. S coniecturae tribuendum est. Itaque Halmio adstipulor, qui, quod Spaldingius coniecit, „quoniam“ in textum recepit. Nam pro „quoniam“ librarii saepe compendio „quō“ utebantur.

2. De modorum post „quoniam“ usu nihil fere habeo, quod addam, cum Quintilianus ab aliorum scriptorum dicendi consuetudine non discrepet. Indicativum „quoniam“ particulae tricies octies adiunxit, sed duobus tantum locis is modus offensionis aliquid habet.

III, 6, 51 „Hoc ultimum maxime in comparativo genere versari putat, quoniam melius ac peius, maius et minus nisi alio relata non intelleguntur.“

XI, 2, 9 „Quamquam invenio apud Platonem, obstare memoriae usum litterarum, videlicet quoniam illa, quae scriptis reposuimus, velut custodire desinimus et ipsa securitate dimittimus.“

¹⁾ cf. *Annal. phil. suppl.* VI p. 326 sqq. et Schoell: de accentu vet. gramm. praec. p. 102.

Nam utroque loco, quia oratio indirecta est, coniunctivum exspectamus, sed, cum ea, quae in enuntiatis a „quoniam“ pendentibus exponuntur, non ex alterius mente dicta sint, sed cum Quintiliani sententia consentiant, indicativum posuit. —

• Omissum est verbum „est“ post „quoniam“ bis: I, 1, 34; V, 11, 24.

Coniunctivos in enuntiationibus per „quoniam“ introductis Quintilianus quater posuit, quos supra enumeravi.

§ 4.

Quando¹⁾).

1. „Quando“ apud Quintilianum causalem habet significationem decem et septem locis. Indicativus ei adiungitur ter decies: I, 6, 18; 8, 9; II, 12, 12; 17, 32; III, 11, 25; V, 7, 6; XI, 1, 10; 1, 32; XII, 1, 20; 2, 1; 2, 6; 8, 5; 10, 27; coniunctivus quater: I Proem. 4; V, 12, 13; VII, 1, 61; (IX, 4, 7). —

a) „Quando=quoniam“, ut: V, 7, 6 „Totum igitur excutiamus locum, quando universam institutionem adgressi sumus“. Sic saepius. XII, 1, 20 Halmium sequor, qui ex hoc „tamquam donec“, quod b exhibet, coniecit „tamen quando nec“; M praebet „tamen quia“.

b) „Quando“=„cum“ explicativum, „idem“, „dadurch dass“.

I, 6, 18 „Idem „centum milia nummum“ et „fidem deum“ ostendant duplicis quoque soloecismos esse, quando et casum mutant et numerum.“ —

XII, 10, 27 „Namque est ipsis statim sonis durior (sc. latina facundia), quando et iucundissimas ex graecis litteras non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullae apud eos dulcius spirant.“

¹⁾ „Quandoquidem“ apud Quintilianum nusquam invenitur.

His locis „quando“ non tam causam affert, cur soloecismi sint, cur latina facundia durior sit ipsis sonis, sed verbis, quae a „quando“ pendent, qui sint illi soloecismi, quæ illa sit duritia, explicatur.

2. Quod attinet ad modos post „quando“ positos, a Cicerone in recta oratione semper indicativus positus est, id quod de Taciti quoque usu Reussius observavit¹⁾. Quintilianus eandem legem sequitur. Nam I, 8, 9: „sanctitas certe et, ut sic dicam, virilitas ab iis petenda est, quando nos in omnia deliciarum vitia dicendi quoque ratione defluximus“ B MS codices quidem coniunctivum praebent, sed sine ulla dubitatione indicativus, quem praebet optimus codex A praefendus est. —

Vitiosi sunt coniunctivi, in quibus et Spaldingius et Halmius iure offenderunt: IX, 4, 7 „Ceterum quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo ac nullas molas obiciente quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus, tanto, quae conexas est et totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsa specie solvi putent, quando res nec ulla sine arte satis valeat et comitetur semper artem decor?“

Qui coniunctivi, cum nullo modo explicari vel excusari possint, in indicativos „valet“ et „comitatur“ mutandi esse videntur.

Coniunctivi his locis: I Prooem. 4; V, 12, 13; VII, 1, 61, cum in oratione obliqua positi sint, nihil alieni habent.

§ 5.

Quatenus.

1. „Quatenus“ usurpavit Quintilianus, ut causam adderet, quinque. Omnibus autem locis pro „quoniam“ „da ja“

¹⁾ I, l. p. 27.

positum est. Sic VI, 2, 12 „Proprie tamen mihi huius nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari videtur.“

Porro: II, 4, 13; VIII, 3, 45.

In transitione ad novum locum invenimus „quatenus“ IV, 2, 66 „Et quatenus etiam forte quadam pervenimus ad difficilius narrationum genus, iam de iis loquamur, in quibus res contra nos erit“

ad degressionem: IX, 2, 81 „Et quatenus huc incidimus, paulo plus scholis demus“ ...

2) Semper apud Quintilianum indicativus post „quatenus“ legitur, quia nunquam in oratione obliqua exstat. —

§ 6.

Siquidem.

1) „Siquidem“ „wenn ja“ „wenn nämlich“ (*εἴγε, εἴπερ*) iam apud Ciceronem perinde atque „quoniam“ invenitur causam omnibus notam significans. Apud Quintilianum legitur novies decies. Sic: VI, 3, 64 „Ex contrario non una species. Neque enim eodem modo dixit Augustus praefecto, quem cum ignominia mittebat, subinde interponenti precibus „quid respondebo patri meo“? „dic me tibi displicuisse“, quo Galba pae-nulam roganti: „non possum commodare, domi maneo“, cum cenaculum eius perplueret. Tertium adhuc illud, siquidem, ut ne auctorem ponam, verecundia ipsius facit: „libidinosior es quam ullus spado“ Verbis a „siquidem“ pendentibus causam affert Quintilianus, cur, cum illic iocorum nominaverit auctores, hic tantum dixerit: „illud“.

I, 1, 9; 6, 15; 10, 11; 10, 16; 10, 17; V, 11, 9; 13, 9; VI, 1, 55; VIII, 3, 47; 4, 17; 6, 52 (suppleas „est“); IX, 4, 113; X, 7, 2; 7, 27; XI, 3, 6; XII, 2, 21, 22, 27. —

2) Interdum post „siquidem“ scriptores praecipue po-

sterioris aetatis posuerunt coniunctivum, Quintilianus contra omnibus locis indicativum praetulit, qui modus VIII, 6, 52 supplendus est. —

§ 7.

Quippe. Quippe qui. Quippe cum. Ut qui.

1) Usus „quippe“ particulae apud Quintilianum paucis absolvi potest. Neque enim usurpatur nisi in enantiationibus, in quibus inest verbum finitum, quod semper in indicativo positum est. Sic: I, 1, 1 „quippe id est homini naturale“ ...

Porro: I, 11, 5; XI, 3, 66.

2) „Quippe qui“ semel legitur idque cum coniunctivo coniunctum: III, 1, 2 „Nec sum ignarus, hoc a me praecipue, quod hic liber inchoat, opus studiosos eius desiderasse, ut inquisitione opinionum, quae diversissimae fuerunt, longe difficillimum, ita nescio an minimae legentibus futurum voluptati, quippe quod prope nudam praeceptorum traditionem desideret“

3) „Quippe cum“ semel habet Quintilianus: X, 1, 38 „Sed persequi singulos infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot milibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur et“

4) „Ut qui“; quod praebet sententiam „da ja“ apud Quintilianum invenitur undecies. Sic: I, 2, 19 „Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole et omnia nova offendit, ut qui solus didicerit quod inter multos faciendum est.“

Item „ut qui“ (sing.): X, 1, 57; 1, 74; XI, 3, 53.

„Ut qui“ (plur.): V, 14, 28.

• „Ut quae“ (sing.): III, 5, 9; XII, 2, 20.

„Ut quod“: VIII, 3, 12; VIII, 4, 16.

„Ut quorum“: X, 2, 13.

„Ut in qua“: X, 1, 55.

Post „ut qui“ Cicero, apud quem „ut qui“ omnino inveniri negat Kühnastius¹⁾ eumque secutus Reussius²⁾, semper coniunctivum posuit³⁾, excepto uno loco corrupto: ad Att. IV, 16, 6: „ut qui — iam intellegebamus“; id quod de Quintiliani quoque usu dicendum est. Nam uno loco suspecto: X, 1, 74 „Theopompus his proximus ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator“ cum editoribus „fuerit“ legendum esse, quod praebet cod. S, pro vitiosa codicum GM scriptura „est“, nemo non videt.



¹⁾ Liv. Synt. p. 270.

²⁾ Reussius l. l. p. 42.

³⁾ cf. Draegerum Hist. Synt. II p. 509.

W I T A.

Edmundus Hermannus Leopoldus Günther natus sum die IX. m. Jan. anni h. s. LVIII Berolini patre Bertholdo, matre Ida e gente Haensch, quos vivos summa pietate veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Sex fere annos natus receptus sum in classem octavam gymnasii Brombergensis, cuius discipulus fui auspiciis Deinhardti et Bredae per duodecim annos. Cum autem pater Krotoschinum vocatus esset, ibi per unum annum frequentavi primam classem gymnasii, cui adhuc egregie praeest vir humanissimus Leuchtenberger. Auctumno a. h. s. LXXVI maturitatis testimonium adeptus Vratislaviam me contuli, ubi per tria semestria studii philologicis operam dedi. Tum Halis Saxonum per quater senos menses studia mea continuavi. Docuerunt me praecipue viri clarissimi: Dilthey, Hertz, Ludwich, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weinhold Vratislaviae; Halis Dittenberger, Haym, Hertzberg, Hiller, Keil, Kirchhoff, Kramer, J. Zacher, K. Zacher. Vratislaviae interfui seminariis et philologico et Theodisco, praeterea exercitationibus archaeologicis, quas moderabatur Rossbach; Halis cum exercitationibus pro-seminarii philologici operam dedi, tum per sex menses seminarii paedagogici Kramerii auspiciis sodalis ordinarius fui. His viris omnibus optime de me meritis neque minus illis, qui antea bonis artibus me instituerunt, gratias ago quam maximas semperque debitam gratiam habebo.





NOV 3 1886

SEP 1 1894

Lq 1.272
De conlunctionum causallum apud Qui
Widener Library 005698312



3 2044 085 226 769